INDEX
LECTIONUM

QUAE

AUSPICIIS REGIS AUGUSTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI TERTII

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PER SEMESTRE AESTIVUM

MDCCCXXXI. A DIE XXV. APRILIS

1831

INSTITUENTUR.

A. Boeckh
De Taciti loco Hist. I [illegible]

BEROLINI

TYPIS ACADEMICIS.

UNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GUILELMAE
RECTOR ET SENATUS.

Polybius, diligentissimus et prudentissimus rerum scriptor, ubi initia belli socialis ab Achaeis et Macedonibus sociisque adversus Aetolos et Lacedaemonios gesti explicat, legationesque ab Achaico concilio missae quo animo a quoque populo acceptae sint refert, Messenios, quorum causa bellum inceptum est, prodit (1) optimatibus quibusdam auctoribus negasse bellum sese suscepturos, priusquam Phigalia suis imminens finibus esset Aetolis erepta. Quod magnopere vituperans Polybius, bellum iudicat formidabile quidem esse, non tamen usque eo, ut eius devitandi causa quidvis tolerandum sit; quid est enim, ait, quod aequam dicendi facultatem et licentiam loquendi et libertatis nomen iactamus omnes, si nihil utilius pace? Neque enim Thebanos, inquit, laudamus in Medicis, quod a communibus periculis pro Graecia subeundis digressi, metu accesserunt Persis, nec Pindarum, qui servandam quietem popularibus commendavit versibus his:

Τὸ κοινόν τις ἀστῶν ἐν εὐδίᾳ τιθείς
ἐρευνασάτω μεγαλάνορος Ἁσυχίας τὸ φαιδρὸν φάος,
στάσιν ἀπὸ πραπίδος ἐπίκοτον ἀνελών,
πενίας δότειραν, ἐχθρὰν κουροτρόφον, (2)

Rempublicam quisque civium in sereno collocans exquirat magnificae Tranquillitatis hilare iubar, seditionem infestam evellens praecordiis, egestatis effectricem, inimicam iuventutis nutricem. Quod consilium quum in praesens esset

---

(1) IV, 31. (2) Vss. 3. 4. quos Polybius omittit, ex Stobaeo additi sunt. Vide Fragm. Pind. p. 669. nostr. ed.

probabile visum, paulo post esse turpissimum et perniciosissimum inventum. Pax enim, inquit, iusto et decoro coniuncta pulcherrimum bonum est et utilissimum, cum ignavia vero et servitute probrosa omnium turpissimum et damnosissimum.

Haec Polybii sententia, etsi nullo non tempore vera inventa est, nunc non ob se ipsam a nobis proposita est, sed ut de nexu constaret loci, cui Pindarici versus intexti sunt. Quippe mireris quid sit, quod Polybius dicat a Pindaro Thebanos illo carmine deterritos esse, ne adversus Medos bellarent, quum versus, quos recitat, nihil contineant nisi intestinarum turbarum reprehensionem et cohortationem ad quietem compositumque reipublicae statum: nam Tranquillitas (*Ἡσυχία*), quam commendat, maxime ad domestica pertinet; huic qui in republica studeat, is poetae sapienti unice probatur. Sic Psaumidem Camarinaeum laudat, quod ad Tranquillitatem civitatium amantem pura conversus mente sit (*πρὸς Ἁσυχίαν φιλόπολιν καθαρᾷ γνώμᾳ τετραμμένον*) (1); Hieroni Syracusio optat, ut ei cum filio contingat populum, dum eum foveat, ad concordem vertere tranquillitatem (*δᾶμον γεραίρων τράποι σύμφωνεν ἐφ᾽ ἁσυχίαν*) (2): ubi manifesto domestica significatur quies: prorsus ut alibi, ubi Damophilum Cyrenaeum exulem dicit cupere, ut domi inter cives, pacata iam patria, fruatur tranquillitate (*ἁσυχίᾳ θιγέμεν*) (3). Eadem Tranquillitas, Iustitiae filia urbes eximie augens, quod ab illo dicitur conciliorum et bellorum tenere claves summas (*Φιλόφρον Ἁσυχία, Δίκας ὦ μεγιστόπολι θύγατερ, βουλᾶν τε καὶ πολέμων ἔχοισα κλαΐδας ὑπερτάτας*) (4), id et ipsum ad domesticam potissimum quietem refertur, bellorumque cum exteris gerendorum tantum catenus clavigera est Tranquillitas, quatenus iniquos reprimere impetus, punire improbum aggressorem emissis, quas concluserat, bellicis cohortibus putatur: ita ut illa bello suscipiendo ne obsit quidem nisi iniquo. Quapropter Pindarus illis, quae Polybius apposuit, verbis non iudicandus est Thebanos a bello adversus Medos gerendo revocare voluisse: hoc unum concesseris, quum optimates ante pugnam Plataicam tenerent Thebas et faverent Medis, alii vero

---

(1) Olymp. IV, 16. (2) Pyth. I, 70. (3) Pyth. IV, 296. (4) Pyth. VIII. init.

seditione mota vellent Graecis opem ferre (1), Pindaro displicuisse civiles turbas inde natas, quibus ne adiutae quidem Graecorum essent res: neque vero, si concordibus animis bellum adversus Medos gerere constituissent Thebani, id ille vituperaturus erat, qui paulo post ab his, Persarum nuper sociis, pecunia multatus, ab Atheniensibus autem beneficiis affectus insignibus est, quod Athenas, quarum consiliis et copiis maximae res adversus Persas gestae erant, Graeciae dixerat decus et columen esse. Igitur poeta generosus non illud, quod significavimus, bellum dissuasit, si modo id cives consensu vellent (non autem voluisse satis constat); sed domesticas detestatus est discordias: nec sane favit turbulentae plebis potentiae impotenti, sed sapientum imperio (2), iustaeque libertati minime infensus, tamen manifesto civitatis malo natos viros iudicavit, quicunque nimia ambitione vulgi quaerentes gratiam seditioni et rebus novis studerent (*ἄγαν φιλοτιμίαν μνώμενοι ἐν πόλεσιν ἄνδρες, ἄλγος ἐμφανές*) (3). Et profecto quanta civitatibus bona afferat tranquillitas publica, quantas calamitates seditio, paucis eximie declaravit poeta, quem probabile est a seditione probe distinxisse legitimam rectae libertatis vindicationem, principum aeque ac populorum consulentem saluti. Tranquillitati enim hilare et iucundum tribuit lumen ac serenitatem, quum civiles turbae animos curarum obnubilent tenebris, quod saevissimas afferre tempestates et procellas solent; *μεγαλάνορα* vocat, quod et singulorum fortunas, beatitatem, virtutem, et rerumpublicarum opes, mutuaque imperantium ac parentium caritate, concordia, fide, fiducia etiam robur auget. De seditione autem quid censet? Pervidit pridem, quod nostra comprobat aetas, egestatis istam esse auctorem matremque, quae diripiat bona opulentorum, exhauriat publicas privatasque copias, intercipiat commercia, inopiam quaestus adducat et cessante quaestu penuriam, vulgus a solitis sibi negotiis avocatum per neglectum rei familiaris malis assuefaciat artibus, rapinis, populationibus. Sed quod nostra vel maxime interest, inimicam istam et invisam iuventutis nutricem vocat. Nam quum in

---

(1) Cf. Explicatt. ad Pind. p. 340. (2) Hinc illud Pyth. II, 87. *χωπόταν ὁ λάβρος στρατός, χὤταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέωντι.* (3) Fragm. p. 670.

tranquilla civitate optimis institutis et doctrinis puerorum et adolescentium erudiantur animi et fingantur mores, seditio ut ceteras civitatis leges, ita iuvenilis disciplinae vincula laxat et solvit, atque ubi diutius perdurat, ad feritatem potius quam ad humanitatem format, immodestiam, arrogantiam, superbiam alit, pietatem et religionem minuit; promptiora et validiora ingenia a strenuis litterarum et artium studiis avocat haud dubie, prava ambitione, astutia, audacia, denique ceteris hominum turbulentorum cupiditatibus et vitiis quibusvis imbuit; ipsâ etiam, quam affert, inopiâ et parentes fraudat facultatibus, quibus opus est, ut liberos idonea impertire educatione possint, et rempublicam iis privat copiis, quas in artium et litterarum cultum eroget. Merito igitur Pindarus invisam iuventutis altricem appellat seditionem. Quo exemplo, quod aliis quam plurimis cumulare licet, isti lucifugi, qui veterum Graecorum disciplinam ut pietati ita obsequio imperantibus debito officere perhibent, poterunt discere, quam consultum rebus nostris foret, si quidquid praeclarorum praeceptorum nobis tradidit antiquitas, non solum tenerent nostri sed etiam sequerentur.

Scr. Berolini d. II. m. Ianuar. a. MDCCCXXXI.

LECTIONES.

I. ORDINIS THEOLOGICI.

1. *Professorum ordinariorum.*

A. NEANDER, Dr. Dec.

I. Publice *aevi apostolici imaginem* adumbrabit *Apostolorumque historiam* illustrabit d. Ven. h. I-II. d. Sat. h. XII-II.

II. Privatim 1) *Historiae ecclesiasticae* partem priorem tradet quinquies p. hebd. h. XII-I. 2) *Epistolam ad Hebraeos* quater p. hebd. h. I-II. explicabit.

E. G. HENGSTENBERG, Dr.

I. Publice *elementa linguae Arabicae* bis p. hebd. h. IV-V. tradet.

II. Privatim 1) *Vaticinia Iesaiae* quinquies p. hebd. h. X-XI. interpretabitur. 2) *Introductionem in V. T.* quinquies p. hebd. h. XI-XII. tradet.

P. MARHEINECKE, Dr.

Privatim 1) *Theologiam dogmaticam* tradet libri sui ed. II. secuturus, quinquies p. hebd. h. IV-V. 2) *Encyclopaediam theologicam* quinquies p. hebd. h. V-VI.

F. SCHLEIERMACHER, Dr.

Privatim 1) *Ethicen Christianam* docebit quinis p. hebd. h. VIII-IX. mat. 2) *Pauli Apostoli epistolam ad Romanos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.

F. STRAUSS, Dr.

I. Publice 1) *Doctrinam de cura animarum* tradet hora adhuc definienda. 2) *Exercitationes homileticas* moderari perget d. Iov. et Ven. h. VI-VIII.

II. Privatim *catecheticen et doctrinam pastoralem* docebit quater p. hebd. d. Lun. et Mart. h. vespert. VI-VIII.

2. *Professorum extraordinariorum.*

I. I. BELLERMANN, Dr.

Privatim *Psalmos quinquaginta priores* interpretabitur dieb. Merc. et Sat. h. XI-XII.

F. H. RHEINWALD, Lic.

I. Publice *antiquitates ecclesiasticas* bin. p. hebd. hor. adhuc definiendis.

II. Privatim *theologiam symbolicam* quater p. hebd. h. X-XI. tradet.

3. *Privatim docentium.*

O. DE GERLACH, Lic.

I. Gratis *doctrinam de ecclesia Christiana* ita tradet, ut simul huius dogmatis historiam et politiae iurisque ecclesiastici Protestantium adumbrationem ad theologorum usus accommodatam exhibeat, quater p. hebd. h. IV-V.

II. Privatim *acta Apostolorum* explicabit quinquies p. hebd. h. V-VI.

C. H. E. LOMMATZSCH, Lic.

I. Gratis 1) *Epistolas D. Pauli ad Titum et Philemonem* Latino sermone interpretabitur die Sat. h. X-XI. 2) *Utriusque societatis exegeticae colloquia* Latino sermone habenda moderari perget.

II. Privatim 1) *Introductionem in libros N. T. historicam criticam* tradet quater p. hebd. h. IX-X. 2) *Epistolas D. Pauli ad Ephesios, Philippenses et Colossenses* Latine explicabit quater p. hebd. h. X-XI.

III. Privatissime *studia varii generis practica* Latino sermone moderabitur.

F. UHLEMANN, Lic.

I. Gratis *librum Coheleth seu Ecclesiasten* sermone Latino usurus explicabit bin. p. hebd. dieb. h. X-XI.